Item, Philosophus 1 *De generatione* loquens specialius de generatione, cum voluerit dare differentiam inter generationem et alterationem, dicit quod "alteratio quidem est, quando manente subiecto sensibili ente transmutatur in eius passionibus aut a contrariis aut a mediis". Et postea subdit: "Quomodo autem idem totum transmutatur non manente aliquo sensibili ut subiecto eodem, sed quasi ex semine toto sanguis, aut ex aqua aer, aut ex aere omni aqua, generatio facta hoc tale, huius autem corruptio". Et post parum subdit Philosophus: "In his autem, si aliqua manet passio eadem contrarietatis in generato, puta quando ex aeri aqua, si ambo diaphanea aut frigida, non oportet huius alterum [passio] esse in quod transmutatur". Et Commentator ponens istam sententiam in eodem 1 *De generatione* dicit sic: "Transmutatio autem in substantia est, cum nihil in actu remanserit de isto ex quo est transmutatio quae fit subiectum illius rei quae in eo fit essentialiter, non accidentaliter". Et paucis interpositis subdit Commentator: "Et dicimus quod necesse est in isto fixo ad qualitatem generatam, ut illa qualitas sit in eo essentialiter, quia videmus in rebus generabilibus quod remanet sensibile idem, verbi gratia ut corporeitas remanens in aqua et aere, cum generantur ad invicem, et diaphaneitas et humiditas et alia accidentia quae remanent in generabilibus videntur quod non sunt subiecta illius quod fit in istis transmutabilibus, illud autem quod est in actu est subiectum in transmutatione quae est in qualitate. Causa in hoc est, quia illud quod remanet apud generationem aquae ex aere est contingens aliquod subiecto, non quod est ipsum subiectum, sed accidentaliter, id est quia est in subiecto. Et ideo, si esse alterationis in subiecto suo esset tale esse accidentale, tunc alteratio esset generatio". Et vult dicere Commentator quod, si illud quod remanet idem in tota transmutatione et in utroque termino est aliquod accidens commune quod consequitur utrumque terminum transmutationis, sicut diaphaneitas [in aere] et aqua et corporeitas, tunc talis transmutatio est generatio. Si vero illud quod remanet idem est subiectum essentialiter, hoc est subiectum proprium essentialiter quod est in actu eius quod fit et acquiritur per transmutationem, tunc est alteratio, ut homo, cum transmutatur de immusico ad musicum. Homo qui remanet in tota transmutatione et terminis eius est

98 passio] *coni.* possionem **115** in aere] *coni.* aerem

91–93 alteratio …mediis] Aristoteles, *De generatione* I, 4 (319b11–12; AL 9/1, p. 24, l. 1–2). **93–96** quomodo …corruptio] Aristoteles, *De generatione* I, 4 (319b14–17; AL 9/1, p. 24, l. 4–7). **96–99** in his …transmutatur] Aristoteles, *De generatione* I, 4 (319b20–24; AL 9/1, p. 24, l. 10–13). **100–102** transmutatio …accidentaliter] Averroes, *In De generatione* I, com. 23 (ed. Fobes, p. 35, l. 55–58). **103–112** et dicimus …generatio] Averroes, *In De generatione* I, com. 24 (ed. Fobes, p. 35–36, l. 35–49).

essentialiter subiectum musicae quae fit et per transmutationem acquiritur, et ideo est alteratio.

Et ista duo concordant in idem, quia hoc accidens commune ideo remanet, quia non habet contrarium in generato. Et hanc sententiam plane subdit Philosophus in 2 *De generatione*, ubi distinguit triplicem generationem elementorum ad invicem. Quia enim quaedam elementorum communicant in una differentia et <quaedam> communicantur in alia, ut ignis et aer, et etiam aer et aqua, et quaedam communicantur in duabus, ut ignis et aqua, ideo convenit generationem eorum ad invicem fieri triplex.

Sicut enim uno modo generatio eorum quae contrariantur secundum unam qualitatem et conveniunt secundum aliam, et ista generatio fit per corruptionem solum unius qualitatis, scilicet contrariae, ut, verbi gratia, ignis fit aer corrupta siccitate tantum, ut Commentator dicit: "Et haec generatio est facilior", unde Philosophus habet in ista verba: "Ex igne quidem est aer altero transmutato. Hoc enim erat calidum et siccum, hoc autem calidum et humidum, quapropter dominabitur siccum ab humido, aer erit" etc.

Alio modo fit generatio "eorum quae contrariantur in duabus qualitatibus". Et tunc generatio est "per corruptionem duarum qualitatum, ut, verbi gratia, quando ex igne fit aqua, non fit nisi per corruptionem caloris et siccitatis. Et haec generatio est difficilior", quia sit per corruptionem duarum qualitatum et per generationem duarum. "Et quia unumquodque istorum elementorum constituitur duabus differentiis seu qualitatibus quarum altera est activa et altera passiva, et potest esse quod una illarum qualitatum erit in uno elemento et [altera] in alio, ideo potest esse ad hoc alius modus generationis, scilicet tertius".

Et est ille modus, quando "unum elementum generatur a duobus elementis, quod fit quando ex utroque illorum duorum corrumpitur qualitas contraria illi elemento, quod generatur et remanet qualitas propria", ut, verbi gratia, quando ignis et aqua agunt ad invicem, | si "ex igne corrumpatur siccitas et ex aqua 160ra frigiditas, tunc generatur aer, quia (sicut Commentator dicit) ex igne remanet calor et ex aqua humiditas quae sunt qualitates aeris". Sed ista generatio "non contingit in omnibus elementis, quia non convenit unum generari a duobus, nisi quando illa duo contrariantur in duabus qualitatibus, ut ex igne et aqua generatur terra et aer et ex aere et terra generatur ignis et aqua".

---

142 altera] *coni.* alterum

123–124 philosophus …generatione] Aristoteles, *De generatione* II, 4 (331b3–26; AL 9/1, p. 60–61, l. 5–4). **132** et …facilior] Averroes, *In De generatione* II, com. 25 (ed. Fobes, p. 113, l. 51). **133–135** ex …erit] Aristoteles, *De generatione* II, 4 (331a26–29; AL 9/1, p. 59, l. 16–22). **136–143** alio …in alio] Cf. Averroes, *In De generatione* II, com. 26 (ed. Fobes, p. 113–114, l. 64–24). **144–152** ille …aqua] Averroes, *In De generatione* II, com. 27 (ed. Fobes, p. 114, l. 24–33).

"Ex duobus autem elementis consequentibus", scilicet quae conveniunt in una qualitate, ut est terra vel aqua, vel aqua et aer, "impossibile est, ut generetur tertium", secundum quod Philosophus plane docet, quia, "si ex utroque eorum corrumpatur qualitas contraria, tunc remanet una qualitas communis" quae non convenit alicui alteri nisi illis duobus, ut, si ex aqua corrumpatur frigiditas et ex aere caliditas, tunc remanet humiditas quae non convenit alii nisi istis ambobus. "Si autem corrumpatur ab utroque qualitas communis, tunc remanent duae qualitates contrariae" quae non possunt alicui uni elemento communicari et illa non possunt fieri.

Generatio qua generatur unum ex duobus est difficilior quam prima generatio in qua unum ex uno differenti in duabus qualitatibus <fit>. Causa huius est, sicut Philosophus dicit et planius Commentator, quia in secunda generatione duae qualitates corrumpuntur ex eodem elemento <et> generantur duae noviter. In hac tertia generatione corrumpuntur duae qualitates ex duobus elementis quod est facilius quam ex uno, sed non generantur duae, sed magis additur una qualitas et diminuitur alia. Et ita nulla qualitas generatur simpliciter, ut, verbi gratia, si ex aqua et igne generatur aer, corrumpitur caliditas ignis et remanet siccitas quae non generatur, sed intenditur, et corrumpitur humiditas aquae et remanet frigiditas quae non generatur, sed remittatur. Est igitur planum quod secundum Philosophum et Commentatorem aliquid est in generato quod fuit in corrupto et non fuit corruptio in corruptione eius. Nec potest fieri quod Aristoteles intellexit quod motus <sit> idem in specie, sed aliud secundum numerum, quia tunc non esset unum quod Commentator dicit, scilicet quod in tertia generatione non generantur duae qualitates, sed una intenditur et altera remittitur. Nec etiam valet ratio per quam Philosophus probat quod ex duobus elementis consequentibus non fiat tertium. Habetur igitur ex his quod non est necesse in qualibet generatione substantiali materiam expoliari omnibus accidentibus, ita quod forma introducatur in materia ut est nuda ab omnibus.

154 vel] et *fors. melius* **156** qualitas] *iter.* **169** aer] a *add.* **171** remittatur] remittitur *fors. melius*

153–155 ex duobus …tertium] Averroes, *In De generatione* II, com. 29 (ed. Fobes, p. 114, l. 62–63). **155** secundum …docet] Cf. Arist., *De generatione* II, 4 (331a26–29; AL 9/1, p. 59, l. 16–22); cf. supra, l. 133–135. **155–156** si ex …communis] Averroes, *In De generatione* II, com. 29 (ed. Fobes, p. 114–115, l. 63–32). **159–160** si …contrariae] Averroes, *In De generatione* II, com. 29 (ed. Fobes, p. 115, l. 32). **164–171** quia …remittatur] Aristoteles, *De generatione* II, 4 (331b27–35; AL 9/1, p. 59, l. 5–13); Averroes, *In De generatione* II, com. 29 (ed. Fobes, p. 115, l. 66–8). **176–178** nec …tertium] Aristoteles, *De generatione* II, 4 (331b27–29; AL 9/1, p. 61, l. 5–7).

Item Philosophus in 8 *huius* et <Commentator> *hic* in commento 13 [ostendunt] quod diversitas entium est propter diversitatem agentium et etiam propter diversitatem materiarum propinquarum, et in quibusdam est diversitas quae non est ex causa agente. Si igitur forma substantialis semper introducitur in materia ut est nuda ab omnibus accidentibus, cum ipsa ut sic sit una etiam numero, nulla erit diversitas in rebus naturalibus generabilibus ex parte materiae, sed solum diversitas erit ex parte agentis. Cuius oppositum expresse dicit Philosophus.

Nec valet dicere, ut arguebatur prius, quod materia propinqua pro tanto dicatur propinqua et diversa ab aliis, quia per alias [dispositiones] prius inductas vel ab agente vel ab alio disponeretur ad hoc quod agens posset in ipsam agere et talem formam introducere, quia ex quo forma non potest introduci nisi in materia ut est nuda et omnes illae dispositiones prius ordine naturae dicunt induci quam forma introducatur, licet simul tempore, illae igitur dispositiones non faciunt materiam propinquam nisi pro quanto sunt via, ut materia denudetur a forma et a dispositionibus omnibus. Et tunc erit materia propinqua, quia in illa introducitur forma, et illa erit eadem omnium, quia omnes dispositiones praecedentes ad illam dispositionem ultimam reducuntur. Nulla igitur erit diversitas ex parte materiae, quia per illud quod [praecessit] et corruptum fuit prius naturaliter quam esset hoc generatum, impossibile est dicere quod hoc generatum differet ab illo, sed tota diversitas est ex parte agentis, quod patet esse contra intentionem Philosophi et Commentatoris.

Per istam sententiam dictam a Philosopho in supra dictis locis potest patere intentio eius circa istam quaestionem et sententia Avicennae concordat cum ista aliqualiter, ut postea patebit.

⟨B. Rationes concludentes verum⟩

Sed, ut magis tollatur ambiguitas circa intentionem Philosophi, in hoc ostendatur secundum principia Aristotelis quod impossibile est in generabilibus et corruptibilibus formam sic introduci semper in materia ut est nuda ab omnibus accidentibus et dispositionibus. Et hoc est secundum quod propositum est circa quaestionem. Hoc autem ostenditur ex quattuor: primo ex natura subiecti generabilium et corruptibilium et etiam formae; secundo ex comparatione corporum simplicium, scilicet elementorum, ad corpora mixta; tertio ex natura motus gene-

---

181–182 ostendunt] *coni.* ostendit **189** dispositiones] *coni.* dampniones **192** induci] *sup. lin.*; *corr.* corrumpi **198** praecessit] *coni.* praececessit

---

181–184 philosophus …agente] Aristoteles, *Metaphys.* VIII, 6 (1045a29–36; AL 25/3.2, p. 177, l. 252–259); Averroes, *In Metaphys.* XII, com. 11 (ed. Iuntina 8, f. 297vaH–I). **188** ut arguebatur prius] Vide supra, l. 28–38. **204** ut postea patebit] Vide infra, l. 675–682.

rationis et corruptionis; quarto ex quantitate et aliis accidentibus consequentibus formam in materia generabilium.

⟨*1. Rationes ex natura subiecti generabilium*⟩
⟨*et corruptibilium et etiam formae*⟩

Primo igitur ex natura <subiecti> generabilium et corruptibilium ostenditur, quia, si forma substantialis introducitur in materia ut est nudata ab omnibus accidentibus, tunc introducitur in materia non dimensionata, nam dimensiones sunt accidentia, et cum materia de se sit indivisibilis et etiam forma indivisibiliter introducitur in esse materiae, et tunc forma non erit divisibilis divisione materiae
160rb nec materia dividitur per formas, | quia, <ut> apparet ex 1 *Physicorum*, divisio non debetur alicui nisi per quantitatem.

Ex quo igitur forma praecedit naturaliter in materia dimensiones et quantitatem et ipsa forma secundum se non dividitur nec materia in qua recipitur et secundum se dividitur, ipsa forma non habebit esse extensum in materia extensione quantitativa, sed erit indivisibiliter in tota essentia materiae.

Ex quo sequitur quod forma erit ibi aeterna et non corrumpetur, quia, ex quo non extenditur extensione subiecti nec subiectum per eam dividitur, sequitur quod non patiatur per subiectum. Forma enim per se non patitur, sed patitur per subiectum, inquantum videlicet habet esse extensum secundum motum subiecti.

Ex quo ulterius sequitur quod ipsum subiectum sive materia quae est, sicut subicitur forma, non habebit habilitatem ad recipiendum plures formas simul. Ex quo enim materia recipit formam individualiter et non est forma extensa in ea nec ipsa est extensa, ut est formata, non est multa in potentia, et si non est multa, tunc numquam denudabitur a forma. Materia enim est multa in potentia, quia potest simul plures formas >in<diversas recipere in diversis partibus eius et diversas succesive in eadem parte. Et hoc ideo, quia >in<divisibilis est per dimensiones. Aliter enim non divideretur in plures partes ad recipiendum simul plures formas nec succesive in eadem parte reciperet diversas formas, quia forma, cum non esset passibilis, >quia< in materia existeret secundum modum separatum, scilicet non localiter, et ita impassibiliter.

Et si quis diceret quod, cum forma introducitur, statim dimensiones introducuntur, quia, quantum datur de forma, tantum datur de consequentibus formam, ut Commentator dicit 4 *Caeli et mundi*, et ita, cum dimensiones simul tempore introducantur cum forma, extendetur ipsa forma extensione subiecti, et ita forma erit passibilis et materia erit multa in potentia — hoc non valet, quia, cum

---

222–223 quia …quantitatem] Averroes, *In Phys.* VIII, com. 62 (ed. Iuntina 4, f. 401vaI–vbK).
245 ut …mundi] Averroes, *In De caelo* IV, com. 40 (ed. Carmody, p. 747, l. 101–109).

dimensiones, ut dimensiones sunt, adveniant materiae per formam et perfectius, tunc forma non educitur de potentia materiae dimensionatae, sed de potentia materiae. Unde forma aut habet esse, sicut de materia educitur et sicut materia erat in potentia ad formam, ita postea fit formata ipsa; aut ut est nuda erat in potentia ad formam, et ut sic est indivisibilis, igitur indivisibiliter erit formata. Dimensiones igitur consequentes eam non dabunt sibi esse extensum, sicut nec dimensiones caeli dant motori suo quae est forma separata esse extensum.

Praeterea, si materia est multa in potentia, eo quod divisibilis est per dimensiones et dimensiones, ut divisibiles sunt, adveniunt sibi per formam, tunc potentia ad plures formas adveniret sibi per formam, et sic potentia esset magis de essentia formae quam materiae, quia "propter quod unum quod est tale et illud magis". Hoc autem est impossibile. Forma igitur non advenit materiae [nudae] a dimensionibus, quia tunc non esset separabilis a materia.

Et hoc est fundamentum Commentatoris in libello *De substantia orbis*, ubi ostendit quod universaliter 'causa generationis et corruptionis entium transmutabilium est contrarietas formarum ipsarum et subiectum commune quod est in potentia ad recipiendum diversas formas in specie et diversas in numero', scilicet in diversis partibus eius. Et causa huius receptionis est, quia hoc subiectum sive materia est multum in potentia per hoc quod primitus recipit dimensiones, ut sunt communes omnibus formis, quae vocantur dimensiones interminatae, eo quod sunt potentia ad terminos omnium formarum, qui, si non haberent dimensiones quibus dividentur, non possent simul recipere plures formas diversas specie nec diversas numero, sed in eodem tempore non erit nisi una forma in tota materia. Et ex hoc Commentator in *eodem libello* differentiam dat inter generabilia et corruptibilia et ipsa corpora caelestia quae habent formam separatam non cohaerentem materiae mediantibus dimensionibus, ut ibidem patet. Ex hoc etiam fundamento destruit opinionem Avicennae qui posuerit dimensiones esse in materia per unam formam substantialem praecedentem omnes formas. Unde qui dicunt dimensiones interminatas non praecedere hanc formam terminatam non possunt ponere unitatem formarum nisi veniendo sensum propter fictam rationem.

Hoc est fundamentum eiusdem Commentatoris in 1 *Physicorum*, ubi ostendens naturam materiae primae et quomodo subicitur transmutationi dicit quod,

259 nudae] *coni.* unde

258–259 propter …magis] Cf. Aristoteles, *Analytica Posteriora* II, 2 (72a29–30; AL 4/4, p. 287, l. 25–26). **261–265** commentatoris …eius] Averroes, *De substantia orbis* I (ed. Iuntina 9, f. 4rbF). **271–273** et ex …patet] Averroes, *De substantia orbis* I (ed. Iuntina 9, f. 5raC–bD). **273–278** ex hoc …rationem] Averroes, *De substantia orbis* I (ed. Iuntina 9, f. 4vbK). **279–284** haec …substantialis] Averroes, *In Phys.* I, com. 63 (ed. Iuntina 4, f. 37vbM–38raA).

cum antiqui consideraverunt vel Aristoteles consideravit duas transmutationes: Unam scilicet per quam non producitur nomen nec definitio rei, et haec est accidentalis; et aliam per quam mutatur nomen et definitio rei et haec est transmutatio substantialis. Et subdit Commentator, quod "cum consideravit illud quod defert utramque transmutationem, scilicet subiectum, invenit ipsum idem numero et est corpus demonstratum. Videmus enim idem corpus in eodem loco transferri de carneitate in terrestritatem et de terrestritate in vegetabilitatem et mutabitur nomen eius et definitio. Videmus etiam ipsum transferri de albedine in nigredinem <et> permanet in nomine et definitione, quia est ei dispositio substantialis qua fit unum numero. Corpus autem cuius nomen et definitio muta<n>tur per transmutationem dispositionis non est unum per dispositionem existentem in ipso dantem ei nomen et definitionem propriam. Unde necesse est, ut illud subiectum non sit unum, quia non habet formam dantem nomen et definitionem unam; et necesse est etiam, ut tres dimensiones quae videntur intransmutabiles et inseparabiles ab ipso et eaedem numero quae dicuntur corpus
160va [sint] accidentia, quia subiectum earum non habet nomen nec definitionem | unam numero, eo quod subiectum non habet formam substantialem. Quoniam, si istae tres dimensiones essent de dispositionibus substantiae, hoc est quod essent forma substantialis, non mutaretur nomen istius subiecti nec eius definitio per mutationem actus dispositionis eius, ut erit tota transmutatio in accidentibus." Et hoc ideo concludit Commentator, quia istae tres dimensiones numquam separantur ab eo. Et subdit Commentator: "Et cum ita sit, est igitur unum subiectum non habens dispositionem substantialem, sed habens naturam recipiendi istas dispositiones substantiales. Est igitur potentia omnes dispositiones substantiales et accidentales, et hoc dicitur prima materia et primum hyle. Et manifestum est quod ista materia non denudatur a corporeitate, quoniam tunc <dimensiones> haberent dispositionem substantialem et haberent nomen et definitionem." Haec sunt verba Commentatoris.

Et ideo dicit Commentator 1 *Physicorum* quod forma et materia mutuo sunt sibi causae. Forma [nullum] dat actum essendi materiae, materia vero sustentat formam, et ideo forma, cum non constituitur per subiectum, non dat esse subiecto. Si igitur materia denudaretur a dimensionibus et forma adveniret non mediantibus dimensionibus, tunc talis forma daret esse subiecto vel materiae, et ita non haberet de se actuale esse, sicut corpus caeleste, et ita de se haberet dispo-

296 sint] *coni.* sunt **310** nullum] *coni.* nullam

284–300 cum consideravit …accidentibus] Averroes, *In Phys.* I, com. 63 (ed. Iuntina 4, f. 38raA–C). **302–307** et cum …definitionem] Averroes, *In Phys.* I, com. 63 (ed. Iuntina 4, f. 38raC–rbD). **309–312** dicit …subiecto] Averroes, *In Phys.* I, com. 70 (ed. Iuntina 4, f. 41rbD–E).

sitionem substantialem et nomen et definitionem. Haec autem sunt impossibilia secundum principia Aristotelis.

Patet igitur ex natura materiae et formae generabilium et corruptibilium quod forma non introducitur in materia ut est nuda ab omnibus accidentibus, quia formae materiales educuntur de potentia materiae, ut est dimensionata. Et, si ita non esset, corporeitas nec esse<t> differentia substantialis substantiarum generabilium et corruptibilium, ut manifeste apparet consisti, nam accidens omnino consequens formam in materia non est differentia substantialis actus substantiae. Si autem substantia corporea generabilis non potest fieri nisi de materia dimensionata, tunc corporeitas est differentia substantialis eius, quia corpus fit ex materia dimensionata et forma. Et mirum est, qualiter hoc non attenditur, corporeitas autem in caelo est alterius generis.

⟨*2. Rationes ex comparatione corporum simplicium,*⟩ ⟨*scilicet elementorum ad corpora mixta*⟩

Item, hoc idem ostenditur ex comparatione corporum simplicium ad corpora mixta sic: Si enim forma substantialis semper introducitur in materia ut est nuda ab omnibus accidentibus, tunc materia prima secundum se considerata est in essentiali distantia ad omnes formas tam simplicium quam mixtorum, quia ipsa materia nuda absque omni alio recipit omnes formas. Ex quo sequitur quod eadem est proportio corporum simplicium ad corpora mixta quae est mixtorum ad simplicia, ita quod non est plus de virtute simplicium corporum in mixtis quam sit de virtute mixtorum in simplicibus. Et evidens consequentia, nam ex quo quaelibet forma introducitur in materia eadem et eiusdem dispositionis, ita quod tam forma praecedens quam dispositiones omnes corrumpuntur in adventu alterius formae, sequitur quod post adventum huius formae nihil est in illo nisi quod sequitur illam formam et est proprium ei, saltem ratione illius productionis appropriatur sibi. Forma etiam mixti opposita est formae corporis simplicis sicut et e converso, quia mutuo et essentialiter se et suas dispositiones corrumpunt in eodem subiecto. Ex quo apparet quod eadem et essentialis proportio est unius ad alterum et e converso, quare tantum erit de virtute simplicium corporum in mixtis quantum e converso.

Sed constat quod in simplicibus corporibus non est alia virtus activa quae agat ad generationem mixti per se, cum ipsa simplicia sint materia mixtorum, materia autem in eo quod materia non agit, igitur nec in mixtis compositis erit virtus activa quae agat per se ad generationem simplicis.

325–326 et mirum …generis] Cf. Averroes, *In Phys.* I, com. 63 (ed. Iuntina 4, f. 38rbF).

Cuius oppositum Philosophus dicit fine 1 *De generatione*, ubi ostendit, quid sit mixtio et qualiter fiat. Habent ista verba: "Quoniam autem sunt haec quidem potentia, haec autem actu entium, contingit mixtum esse qualiter et non esse, actu quidem ente alio generato ex ipsis, potentia autem quae adhuc utrumque erant, antequam miscerentur, et non partita. Hoc autem sermo quaesivit prius. Videntur enim quae miscentur prius ex separatis convenientia et possibilia rursus. Nec manent igitur actu ut corpus <et> album, nec corrumpuntur nec alterum nec ambo, salvatur enim virtus eorum. Ideo haec quidem derelinquentur" etc. Est igitur plana intentio Philosophi quod elementa, licet non [maneant] in actu simpliciter in ipso composito, non tamen sunt simpliciter corrupta, sed aliquo modo manent. Saltem virtus eorum manet quae est alia qualitas ipsorum quae agit ad corruptionem mixti et ad generationem cuiuslibet simplicis. Unde et Commentator in eodem 1 *De generatione* ponens supradictam sententiam Philosophi scribit haec verba: "Cum igitur duo admixta non corrumpantur nec unum illorum nec sint fixa (hoc est non manent in actu completo), oportet ut secundum unum modum sint et secundum alium modum non sint. Et quia diximus quod quaedam sunt in potentia et quaedam sunt in actu, manifestum est quod illud quod generatur ex mixtis in actu, in potentia utrumque illorum est, sicut sint. Et diximus quod non corrumpebantur perfecte nec remanserunt, sicut fuerint ante, et illum modum ignoraverunt antiqui" etc.

Plane est igitur intentio Philosophi et Commentatoris quod elementa non corrumpuntur simpliciter in generatione compositorum ex elementis, sed manet
160vb aliquid de ipsis, saltem qualitates seu virtutes quae realiter | agunt ad generationem ipsorum elementorum. Et hae formae non possunt esse nisi aliquo modo remanerent ibi formae ipsorum elementorum. Sed quidquid sit de hoc, habetur ex dictis quod in mixto remanent virtutes elementorum quae agunt. Ex quo non potest dici quod istae virtutes remanent in sola potentia prima, quia tunc non agerent. Non igitur forma substantialis ipsorum mixtorum introducitur in materia nudata ab omnibus dispositionibus et accidentibus, immo introducitur in materia habente alias dispositiones et virtutes elementorum.

Sed, quia multi sunt anguli ad fugiendum veritatem, potest aliquis dicere quod formae habent ordinem ad invicem, ita quod quaedam sunt priores in materia, quibus quaelibet tamen forma introducitur in materia nuda, sed ex ordine earum est quod, cum prior forma corrumpitur, et omnes suae dispositiones priores

---

355 possibilia] queuntia separari *in auct.* **357** derelinquentur] derelinquantur *in auct.* **358** maneant] *coni.* manent **370** plane] plana *fors. melius*

351–357 quoniam …derelinquentur] Aristoteles, *De generatione* I, 10 (327b23–32; AL 9/1, p. 48, l. 8–16). **363–369** cum …etc.] Averroes, *In De generatione* I, com. 83–84 (ed. Fobes, p. 88, l. 63–67).

generantur noviter eius posteriori. Et hoc est propter ordinem earum inter invicem.

Sed mirabile est, si talis evasio potest alicui sapienti sufficere. Iste enim ordo formarum quo una forma introducitur post aliam et non aliter potius est propter oppositionem privativam quam propter aliam convenientiam in dispositionibus. Quia enim caecitas est privatio visus, ideo caecitas proprie non sit nisi post visum vel post naturalem dispositionem et aptitudinem ad visum, sicut nec acetum quod est corruptio vini fit nisi post vinum. Et ideo in talibus formis non fit reciprocatio immediate a posteriori forma ad primam, donec fiat resolutio ad prima corpora simplicia, ut patet ex 8 <*Metaphysicae*>. Constat autem quod, cum forma privativa non generantur dispositiones formae praecedentis cuius ipsa est privatio, immo potius corrumpuntur, quia sicut forma adveniens est privatio formae praecedentis, ita est privatio suarum dispositionum quae sunt propriae eius. Et ita ex ordine formarum non potest dici quod cum forma posteriori supervenienti generentur dispositiones formae praecedentis quae corrumpitur.

Et, ut pateat exclusio huius evasionis secundum sententiam Philosophi, audi verba Philosophi 2 *De generatione*, <qui> ubi ostendit, quomodo corpora generabilia fiunt ex elementis, movet eandem quaestionem. Quidam enim bene concesserant quod elementorum omnium erat una materia, sed non dicebant, quomodo ex elementis fiunt alia mixta. Unde dicit sic Philosophus: "Similiter autem et facientibus [unam] eorum materiam habet aliquam quaestionem, quomodo erit aliquid ex ambobus, verbi gratia, ex calido et frigido aut ex igne et aqua. Si enim est caro ex ambobus et neutrum eorum nec rursus compositio salvatorum, quid reliquitur nisi materiam esse quod ex istis? [Alterius] enim corruptio aut alterum facit aut materiam".

Haec est quaestio quam movet Philosophus et statim solvit eam dicens sic: "Quapropter quoniam est magis et minus calidum et frigidum, quando quidem est simpliciter alterum actu, potentia alterum erit; quando autem non omnino, sed ut quidem calidum et frigidum, ut autem frigidum calidum, quia quae miscentur corrumpunt intentiones ad invicem, [tunc neque] materia erit nec illorum contrariorum alterutrum actu simpliciter, sed medium".

---

388 convenientiam] inconvenientiam *scr. sed* in– *exp.* **404** unam] *coni.* unum *et scr. secundum auct.* **407** alterius] *coni.* ulterius *et scr. secundum auct.* **413** tunc neque] *coni.* tantum *et scr. secundum auct.*

---

393 ut patet …metaphysicae] Aristoteles, *Metaphys.*, VIII, 4 (1044a24–32; AL 25/3.3, p. 174–175, l. 175–182). **403–408** similiter …materiam] Aristoteles, *De generatione*, II, 7 (334b2–8; AL 9/1, p. 69, l. 9–14). **410–414** quapropter …medium] Aristoteles, *De generatione*, II, 7 (334b9–13; AL 9/1, p. 69, l. 15–20).

Haec est solutio quaestionis, et, ut verba Philosophi [ipsam] exponant, addam quod sequitur. Subdit Philosophus: "Secundum illud vero quod est potentia magis calidum vel frigidum <aut contrarie alterutrum, secundum hanc rationem dupliciter calidum potentia quam frigidum> vel tripliciter vel secundum alium talem modum. Erunt utique mixta alia ex contrariis aut elementis, et alia elementa ex illis potentia qualiter entibus, non ita vero ut materia, sed secundum praedictum modum. Et erit ita quidem mixtio, illo vero <modo> materia quod generatur," quasi dicens hic Philosophus quod elementa sunt in mixto, non sicut in materia, scilicet in prima potentia, sed realiter manent ibi virtutes eorum. Et haec est mixtio, scilicet aliquorum manentium aliquo modo. Sed quando unum elementum generatur ex [alio], non manet nisi materia quae est illud quod generatur; et tunc non <fit> mixtio, sed generatio.

Et post hoc subdit Philosophus: "Quoniam autem patiuntur contraria secundum in primis determinationem: Est enim actu calidum potentia frigidum <et actu frigidum> potentia calidum, quapropter, si non coaequantur, transmutantur invicem, similiter autem et in aliis contrariis. Et primo ista elementa transmutantur, ex his enim carnes et ossa et quae talia, calido quidem generato frigido, frigido autem calido, quando ad medium [veniet, hic] enim neutrum, medium enim multum et non indivisibile. Similiter autem et siccum et humidum et alia talia secundum medietatem faciunt carnem et os et alia etc."

Vult igitur expresse Philosophus quod mixta fiunt ex simplicibus per mixtionem. In mixtione autem simplicia corrumpunt intentiones proprias ad invicem, et tunc non remanet in ista corruptione materia subiectum nec ipsa simplicia in actu completo, sed manet medium. Et ideo dicit quod quando calidum fit frigidum et frigidum calidum, veniunt ad medium et hanc medietatem non habet aliquod simplicium. Et ideo illud medium est aliud a quolibet simplicium, quia est ipsum mixtum habens tamen proprietates et virtutes simplicium in quadam remissione.

Et nescio, quomodo possem planius et plenius explicari istam intentionem quam verba Philosophi explicent, nisi vellem verba superfluere. Inducam tamen ex superabundanti expositionem Commentatoris. Hic dicit enim Commentator in eodem loco 2 *De generatione* quod illi qui non concedunt generationem

---

415 ipsam] *coni.* seipsam **417–418** aut contrarie …frigidum] *suppl. secundum auct.*; *fors. hom.* **421** modo] *suppl. secundum auct.* **422** generatur] miscetur *in auct.* **425** alio] *coni.* alia **428–429** et actu frigidum] *suppl. secundum auct.*; *fors. hom.* **429** transmutantur] transmutant *in auct.* **432** veniet hic] *coni.* veniunt habeant *et scr. secundum auct.* **435** mixta] *corr.* multa **440** et ideo …simplicium] *marg. d. cum sign. tr.*

416–422 secundum …miscetur] Aristoteles, *De generatione*, II, 7 (334b13–21; AL 9/1, p. 69–70, l. 20–5). **427–434** quoniam …alia etc.] Aristoteles, *De generatione*, II, 7 (334b21–31; AL 9/1, p. 70, l. 5–14).

elementorum ad invicem et ponunt generationem aliorum compositorum ex eis, impossibile est eis dare modum convenientem secundum quem composita generantur ex his simplicibus. Et hoc prosequitur declarando. Post cuius declarationem dicit quod "dicentes quod elementa transmutantur ad invicem [habent] maiorem quaestionem". Et est quaestio: 'Generantur composita ex eis. Cum enim isti ponant generationem istorum elementorum ad invicem esse propter materiam communem eis, difficile est eis dicere, qualiter caro et os generentur ex eis, | quoniam caro generatur ex pluribus elementis seu omnibus simul, scilicet 161ra ex aqua et igne' etc.; tunc igitur 'aut aqua et ignis existunt in carne in actu, et tunc caro fit ex eis' per compositionem, sicut domus ex lateribus, lapidibus et lignis. Quod iam improbatum fuit contra alios qui hoc ponebant: Aut caro fiet ex aqua et igne 'per corruptionem alterius illorum in alterum, et tunc caro erit' illud alterum in quod fit corruptio alterius, puta 'ignis vel aqua; aut fiet ex eis per corruptionem utriusque illorum, et tunc illud quod proveniet ex eis non erit nisi illud quod erat commune ambobus, scilicet materia prima quae est in potentia, quod est impossibile'. Et ita difficile videtur dici, qualiter mixta fiant ex simplicibus.

Et dicit Commentator quod 'ista quaestio non contingit dicentibus corpora composita fieri ex elementis secundum transmutationem, nisi si diceretur quod primae differentiae (vel primae qualitates) elementorum, scilicet caliditas et frigiditas etc., non suscipiunt magis et minus, quia si ita poneretur', tunc quaestio contingeret et non posset solvi.

Per hoc igitur solvitur quaestio, nam 'cum diximus quod calidum et frigidum sunt simpliciter et sunt etiam secundum magis et minus, tunc dicemus quod illud quod fit ex isto non est frigidum simpliciter nec calidum in potentia solum, sed est calidum et frigidum insimul, sicut medium compositum extremis, scilicet calidum non in fine caloris, sed in respectu, et similiter frigidum non in fine, sed in respectu. Quomodo autem hoc fiat, hoc est secundum modum mixtionis'.

Unde subdit Commentator: 'Mixtio enim non est generatio simpliciter, scilicet quae fit ex prima materia absque omni alio, quia hoc est subiectum elementorum. Nec mixtio est alteratio nec est transmutatio alterius contrariorum in alterum, nec transmutatio eorum in materiam, sed composita fiunt ex elementis secundum mixtionem et elementa fiunt a compositis secundum dissolutionem et in potentia sunt illa. Sed non est intelligere per potentiam in hoc loco primam materiam'.

---

450 habent] *coni.* habetur **453** ex] *sup. lin.*

450–462 dicentes …impossibile] Averroes, *In De generatione* II, com. 48 (ed. Fobes, p. 134–135, l. 66–61). **464–468** ista …solvi] Averroes, *In De generatione* II, com. 48 (ed. Fobes, p. 135, l. 62–66). **469–474** cum …mixtionis] Averroes, *In De generatione* II, com. 48 (ed. Fobes, p. 135–136, l. 68–7). **475–480** mixtio …materiam] Averroes, *In De generatione* II, com. 48 (ed. Fobes, p. 136, l. 8–14).

Verba sunt Commentatoris et dicunt idem quod verba Philosophi et illae dictiones nihil signant. Planum est igitur quod secundum intentionem Philosophi et Commentatoris simplicia manent in mixto secundum aliquod esse reale quod non est prima potentia materiae; et quod, quando mixta fiunt ex simplicibus, non fit resolutio usque ad materiam primam, ita quod omnes dispositiones et qualitates elementorum corrumpantur simpliciter. Sed fiunt ex eis secundum mixtionem per hoc quod qualitates elementorum suscipiunt magis et minus et formae substantiales eorum quae sunt diminuti esse et propinquae formis accidentalibus, ut videntur verba Philosophi sonare manifeste. Et etiam corrumpuntur intensiones ipsorum simplicium et non simplicia totaliter quae sunt materia ipsorum mixtorum. Ex tali autem corruptione intensionum fit unum medium quod est vere unum compositum per unam formam substantialem in actu, nam natura simplicium quae ibi manet non manet in actu suo completo. Et si quodlibet simplicium poneretur in materia per se separatum ab aliis sub tali esse, non perficeret materiam, ita quod daret sibi completum actum essendi. Et ideo non manent in mixto plures formae in actu simpliciter. Et in hoc non est alia difficultas nisi quod formae elementorum suscipiunt magis et minus, quod videtur Philosophus expresse dicere. Sed cui hoc non placuerit, concedit tamen necessario quod qualitates elementorum suscipiunt magis et minus et quod manent in mixtis.

Et mirabile videtur, quomodo sapientes dimittunt illud fundamentum quod est expresse omnium peripateticorum et per quod potest salvari generatio et unitas formae substantialis secundum quod sibi convenit. Et non negabatur sensus sicut negant illi qui propter unitatem formae dicunt semper fieri resolutionem usque ad materiam primam et dicunt sensum decipi, quia est quasi fundamentum in scientia Aristotelis. Et si esset, sicut dicunt, compositum numquam corrumpetur nisi ab extrinseco corrumpente, sicut elementa. Quia enim elementa habent materiam primam et formam et qualitates et dispositiones consequentes formam in materia, ideo non habent extrinsecum corruptionis. Et recte eodem modo [esset] de mixtis. Si ita forma eorum introducetur in materia nuda, ut isti dicunt, et multo plus quanto forma mixtorum est perfectior quam simplicium, quod est manifeste falsum. Composita enim, licet non sint extrinsecum corrumpens,

488 formae] *iter.* **494** poneretur] completum *add. sed exp.* **510** esset] *coni.* essent

496–498 et in …dicere] Cf. Fernandus Hispanus, *Sententia cum quaestionibus in De substantia orbis*, qu. 8 (ed. Venetiis 1564, f. 64vaF–bE). **501–517** et mirabile …accidentibus] Hoc loco Fernandus ad opinionem Thomae de Aquino referri videtur; cf. Thomas de Aquino, *De mixtione elementorum* (ed. Leonina 43, p. 155–156, l. 53–107).

necessario corrumpuntur, eo quod sunt composita ex contrariis, ut declaratum est aliqualiter supra 9 *huius*, ubi de distinctione potentiae activae et passivae tangebatur. Patet igitur ex comparatione corporum simplicium ad mixta quod forma substantialis non semper reducitur in materia ut est nuda ab omnibus accidentibus.

⟨*3. Rationes ex natura motus generationis et corruptionis*⟩

Tertio potest hoc idem declarari ex natura motus generationis et corruptionis brevius. Generatio enim et corruptio non sunt duo motus secundum rem et naturam motus, sed sunt unus motus realiter differens secundum respectum duorum terminorum motus. Si enim motus iste vel transmutatio consideretur respectu termini ad quem qui per motum acquiritur, dicitur generatio, si autem consideretur respectu termini a quo qui in isto motu tendit ad sui non esse, dicitur corruptio.

Et si aliquis dicat quod non potest motus denominari a termino a quo, nam, ut declaratur 5 *Physicorum*, 'motus habet speciem et nomen ex termino ad quem', dico subiectum quod univocum est, et ita corruptio denominatur ab eo in quod tendit subiectum motus, scilicet a non-esse rei. Sed, quia hoc quod est non-esse vel nihil simpliciter, non habet rationem termini nec potest esse per se [terminus] motus naturaliter, ideo motus corruptionis non habet terminum realem a quo denominatur, nec terminum a quo, ut intendit | in non-esse. Propter hoc igitur 161rb isti duo motus secundum respectum non sunt hic motus unus secundum rem, quia non habent nisi duo realia extrema, et ideo unus eorum est per accidens, scilicet corruptio, et alius per se, scilicet generatio.

Et ideo Philosophus 1 *De generatione* dicit quod in substantiis semper "alterius est corruptio, alterius est generatio" et eadem actione qua generans generat unum, corrumpit reliquum, nec alius est corrumpens a generante naturaliter loquendo, nec hoc intelligo de homine. Sed de aliis generabilibus idem est subiectum istius motus.

---

530 terminus] *coni.* terminis **533** isti duo] *iter.* **533** secundum] duo *add. sed exp.*

513–514 ut …huius] Cf. Fernandus Hispanus, *Sententia Metaphysicae* IX (O, f. 128va, l. 30–38; P, f. 137va, l. 28–34): "Est autem istud capitulum diligenter notandum totum contra illos qui dicunt in qualibet generatione substantiali fieri resolutionem usque ad materiam primam, secundum enim hanc positionem formae naturales non haberent materias propinquas diversas quae (quo O) dicerentur simpliciter in potentia ad illas, nam materia prima esset (erit O) immediatum subiectum propinquum omnium formarum et ipsa materia prima quae est una etiam numero secundum se esset (erit O) in aequali distantia ad omnes formas, cuius oppositum est de intentione Philosophi in toto isto capitulo". **527** motus …quem] Aristoteles, *Phys.* V, 1 (224b7–8; AL 7/1, p. 193, l. 10–11); cf. etiam *Auctoritates Aristotelis* (ed. Hamesse, p. 152, n. 147). **536–537** alterius …generatio] Aristoteles, *De generatione* I, 3 (318a23–25; AL 9/1, p. 19, l. 3–6); cf. etiam *Auctoritates Aristotelis* (ed. Hamesse, p. 167, n. 7).

Si igitur in qualibet generatione substantiali fieret resolutio usque ad materiam primam, necessario generatio et corruptio essent duo motus realiter distincti, quia ibi essent duo termini qui sunt fines realiter distincti et oppositi; esset enim unus terminus materia prima nuda ab omni forma et accidente qui esset terminus resolutionis usque ad ipsam et terminus corruptionis et esset alius terminus materia formata seu compositum generatum qui est terminus generationis. Et, cum isti termini sint realiter distincti et oppositi, est necesse quod motus qui terminantur ad eos sint realiter distincti et oppositi. Et ita corruptio unius non erit generatio alterius, licet post corruptionem naturaliter sit generatio. Et ex hoc etiam sequeretur quod, cum motus isti sint oppositi, >quod< inter eos esset quies media, ut probatur 8 *Physicorum*, et ita esset dari terminus in quo materia esset absque omni forma, cuius oppositum patet ex 1 *De generatione*.

Et si aliquis diceret quod ista ratio simili modo procedit contra aliam positionem quae dicit quod dimensiones non separantur a materia et alia accidentia, quia ex quo concedit quod forma substantialis separatur a materia, et hoc est corruptio, et alia forma introducitur, isti termini sunt duo, scilicet materia cum forma, quare similiter dicetur quod motus sunt duo realiter et oppositi et ita sequentur eadem inconvenientia quae pono — dico ad hoc: Quae non sequentur, quia, cum ponam quod materia manet semper dimensionata, non dicam corporeitatem quae est trina dimensio corporis corrumpendi in non-corpus et corporeitatem corporis generati generari ex non-corpore. Nec etiam dicam dispositiones introduc<t>as ab agente generante corrumpi in adventu formae quae generatur, quia hic qui ponit omnia quae praecedunt ordinant ad terminum corruptionis simpliciter et non ad generationem nisi anteceduntur. Sed dicam ego quod, cum agens generaverit aliquid ex aliquo, alterat subiectum generationis ad qualitates generandi, corrumpit qualitates proprias subiecti quod existit in actu et tam diu agit alterando ad proprias qualitates, [id] est eorum [primas] qualitates proprias formae praeexistentis, donec in finem motus remanet, ubi est hoc corruptum et hoc generatum. Quae cum igitur in toto motu praecedit, sive ut facta per se tendebant ad generationem huius et per accidens ad corruptionem praeexistentis, et ita erat una actio vel motus et unus terminus eius per se. Sic igitur patet bene >inter< ex natura motus vel transmutationis quae est generatio et corruptio quod forma non introducitur sic in materia nuda, ut multi imaginantur.

554 alia] *iter.* **561** generati] generandi *fors. melius* **567** id] *coni.* quod **567** primas] *coni.* primae

551 ut …physicorum] Aristoteles, *Phys.* VIII, 8 (262a12–15; AL 7/1, p. 323, l. 14–16); cf. etiam *Auctoritates Aristotelis* (ed. Hamesse, p. 158, n. 221). **552** cuius …generatione] Aristoteles, *De generatione* I, 3 (318a23–25; AL 9/1, p. 19, l. 3–6); cf. etiam *Auctoritates Aristotelis* (ed. Hamesse, p. 167, n. 7).

⟨*4. Rationes ex quantitate et aliis accidentibus*⟩
⟨*consequentibus formam in materia generabilium*⟩

Quarto ostenditur hic idem: Ex quantitate et aliis accidentibus quae sequuntur formam in materia ut est nuda ab omnibus accidentibus et dimensionibus sequitur quod ex uno pugillo aquae fiat tanta quantitas aeris vel ignis, sicut ex duobus vel ex tribus vel etiam ex pluribus. Consequens est falsum; igitur antecedens. Falsitas consequentis patet per Philosophum in 2 *De generatione*.

Et etiam ad secundum est manifesta, quia saltem in homogeneis patet: Quod est maiori portione materiae, fit maior quantitas generati, et maior portio materiae dicitur quae est sub maioribus dimensionibius illius ex quo fit generatio. Consequentia probatur, quia ex quo forma introducitur in materia ut est nuda ab omni dimensione, tunc dimensiones quae fiunt in generato consequuntur formam in materia. Quantitas igitur dimensionis aut est a forma, aut ab agente, aut ab utroque, quia a materia non potest esse nisi ut a subiecto ex quo, nec [quomodolibet] posset dici quod dimensiones sunt a materia, quia materiae est terminari et non terminare, formae autem est terminare. Et ideo quantitas seu terminus dimensionum non potest esse a materia. Materia enim de se non est quanta nec habet a materia extensionem, sed est susceptiva dimensionum cuiuscumque quantitatis vel termini. Et ideo materia quae est sub dimensionibus unius pugilli, scilicet in terra, potest esse sub dimensionibus mille pugillorum, scilicet in igne, et ita etiam ipsa quantum est de se posset esse sub dimensionibus decem millium vel centum millium pugillorum, si esset forma quae posset sibi dare talem terminum, cum ipsa materia de se sit in potentia ad quamcumque formam et terminum eius, quantitas igitur dimensionum in generato vel erit a forma vel agente vel ab utroque, sed cum ex uno pugillo aquae fit ignis, eadem forma introducitur et aequalis perfectionis quae introducitur, cum ex duobus pugillis aquae fit ignis. Et similiter est idem agens, quia ponam quod illud idem agens vel aequale per omnia agat in uno pugillo aquae et in duobus, igitur sequitur quod erit eadem quantitas ignis ex uno pugillo aquae et ex duobus et eodem modo ex centum.

Et si | aliquis vellet impedire rationem dicendo quod non potest fieri tanta 161va
quantitas ex uno pugillo aquae, aliud ex duobus, quia locus in quo est unus pugillus aquae non est tantus sicut locus in quo duo pugilli, et ideo ex proportione loci in

588 quomodolibet] *coni.* quaelibet

579–580 falsitas …generatione] Aristoteles, *De generatione*, II, 7 (334b2–21; AL 9/1, p. 69–70, l. 9–5). **581–603** et etiam …centum] Hoc fragmento Fernandus doctrinam Averrois contra Aegidium Romanum defendere videtur; cf. Aegidius Romanus, *Theoremata de Corpore Christi*, propositio XLIV (ed. Roma 1554, f. 31rb). **604–611** et si …dicit] Cf. opinionem Aegidii Romani, *In Sent.* I, d. 32, pars 1, princ. 2, qu. 1 (ed. Venetiis 1521, f. 192rbG).

quo est subiectum eius quod debet generari sumetur quantitas dimensionum rei generatae, istud non videtur valde quod, licet loca sint causa aliquo modo ipsorum elementorum, ut videtur Philosophus dicere in 1 *Metheororum* et Commentator dicit 4 *Caeli et mundi*, non tamen est ita in aliis mixtis et perfectis, ut ipse idem dicit.

Et hoc manifestum est saltem quantum ad propositum. Dimensiones enim corporum non fiunt secundum dimensiones locorum, sed potius e converso secundum dimensiones aptatur capacitas loci. Unde dicitur in 4 *Physicorum* quod una de proprietatibus loci est aequalis locato, non autem e converso, quia tunc numquam posset maius corpus succedere minori in eodem loco nec e converso, quod est falsum. Ista vero ratio non solum concludit de elementis, licet in eis exemplificatum fuit, immo de quibuscumque generabilibus, scilicet quod tanta quantitas fieret in generato ex materia existente sub parvis dimensionibus sicut existente sub magnis. Non igitur potest hoc improbari ex proportione loci.

Praeterea, si quantitas dimensionum esset ex quantitate loci, ubi fieret generatio, cum locus sit quoddam extrinsecum ad ipsum generatum, tunc determinata quantitas non consequeretur essentialiter generatum, sed accidentaliter, et ita formae naturales non essent per se determinatae ad minimum et ad maximum, quod est manifeste contra Philosophum in 2 <*De anima*>, ubi dicit quod "omnium natura constantium terminus est et ratio magnitudinis".

Praeterea, non possum videre quomodo ex proportione loci in quo est subiectum generati fieret determinata quantitas ipsius generati, quia in generatione naturali quantum in aliquo subiecto acquiritur de dispositione ad formam, tantum acquiritur sibi de loco proprio illi formae, ut patet ex 4 *Caeli et mundi*, nisi impediatur. Ponamus igitur fieri generationem ignis ex aqua: Rarefit et calefit aqua, et, sicut rarefit, ita ascendit, cum autem est in fine rarefactionis, iam est in loco ignis. Locus autem ignis potest recipere non solum quantitatem factam ex uno pugillo, verum etiam quantitatem factam ex decem pugillis. Et si dicatur quod non potest amplius dilatari locus ignis, nisi quantum restringatur locus aeris et aqua, dicam ad hoc quod possibile est quod in eodem instanti in quo generatur ignis ex uno pugillo aquae in una parte universi, quod corrumpatur in alia parte tantum de igne, quantum etiam possit fieri ex decem pugillis. Igitur habeo ex hoc quod non obstante proportione loci potest fieri ex uno pugillo aquae sicut ex decem. Hoc autem est manifeste falsum. Si igitur quantitas generati

609 ut videtur …metheororum] *Fors.* Arist., *Meteor.* I, 3 (341a3–9; AL 10/2, p. 14, l. 150–156). **609–610** commentator …mundi] Averroes, *In De caelo* IV, com. 40 (ed. Carmody, p. 747, l. 86–97). **614–615** unde …converso] Aristoteles, *Phys.* IV, 1 (209a26–30; AL 7/1, 139, l. 13–17). **625–626** omnium …magnitudinis] Aristoteles, *De anima* II, 4 (416a16–17); cf. etiam *Auctoritates Aristotelis* (ed. Hamesse, p. 181, n. 87). **630** ut patet …mundi] Aristoteles, *De caelo* IV, 5 (312b19–31).

fit ex proportione quantitatis eius ex quo est generatio (ut Philosophus vult 2 *De generatione*, scilicet quod ex uno pugillo aquae fiant decem aeris et ex uno aeris fiant decem ignis etc.), necesse est dicere quod forma educatur de materia dimensionata, et ita quod maiori proportione materiae fiet maius generatum secundum quantitatem.

Possit autem argui ad hoc quod ex non-corpore potest fieri corpus, sicut arguit Philosophus in 3 *Caeli et mundi* contra platonicos, sed quia ratione<s> patentes sunt ibi, ideo omittantur hic, et qui voluerit consideret ibi et inveniet esse possibile quod ex non-corpore fiat corpus. Et est mirabile, quomodo studentes Aristotelem non considerant in eis, sicut enim Commentator dicit in eodem 3 *Caeli et mundi*: "Illud enim quod est in potentia, si denudatum fuerit a forma et ab omnibus accidentibus, necessario erunt illic dispositiones abstractae in quibus existet corpus".

In alio loco eiusdem 3 *Caeli et mundi* contra illos qui dicunt corpora generari ex superficiebus et corrumpi in superficies ita dici potest contra istam positionem: Quia quantum ad hoc pari passu credunt, scilicet quod utraque positio dicit corpus generari simpliciter et corrumpi simpliciter. Et inconveniens quod sequitur ad utramque rationem est quod possibile est in aliquo tempore nullum corpus esse corpus, quod licet ipsi dicant quod corpus generatur ex corpore, hoc est per accidens, inquantum accidit materiae esse sub alia corporeitate, sed per se corpus corrumpitur in non-corpus et per se generatur ex non-corpore. Et ideo, sicut Commentator dicit, "si positum fuerit quod continuatio entis per esse corporeum est modo accidentali", necessarium est quandocumque nullum corpus esse, quod est impossibile. Hoc autem non accidit, "si ponatur quod generatio corporis est ex corpore simpliciter", et corruptio in corpore simpliciter et per se. Et plane est intentio Philosophi contra ipsam positionem ubique.

Et ideo, licet multipliciter et ex multis aliis fundamentis Philosophi possit argui contra eam, sufficiat ad praesens excitasse studentes scientias Aristotelis per praedicta, [ut] considerent, si numquam invenient Aristotelem dixisse in qualibet generatione fieri resolutionem usque ad materiam primam, ita quod ipsa denudetur ab omnibus accidentibus et dimensionibus, et si invenie<n>t fundamentum ex quo possint illud arguere. Et bene existimo quod numquam

669 ut] *coni.* et

641–642 ut philosophus …generatione] Aristoteles, *De generatione*, II, 7 (334b2–21; AL 9/1, p. 69–70, l. 9–5). **646–647** sicut …platonicos] Aristoteles, *De caelo* III, 1 (298b24–33). **651–653** illud …corpus] Averroes, *In De caelo* III, com. 29 (ed. Carmody, p. 559, l. 63–65). **662–664** si positum …impossibile] Averroes, *In De caelo* III, com. 14 (ed. Carmody, p. 512, l. 86–88). **664–665** si ponatur …per se] Averroes, *In De caelo* III, com. 14 (ed. Carmody, p. 512, l. 88–90).

invenient aliquod fundamentum bonum arguendi illud, nisi illa quae iam tacta sunt in arguendo hoc.

161vb Etiam sententia quae dicta est, scilicet | quod dimensiones numquam separentur a materia, nec corpus corrumpitur in non-corpus, nec generatur ex non-corpore, est sententia Avicennae 1 tractatu suae *Sufficientiae* capitulo 2, nisi quod Avicenna voluit quod tres dimensiones esse ut in materia prima per unam formam primam quae numquam separatur ab ea et quae est in potentia ad omnes formas substantiales, quam opinionem Commentator improbat libello *De substantia orbis* quantum ad hoc quod posuit illas dimensiones esse per illam formam ab ipsis formis substantialibus.

Sic igitur apparet quod est intentio istorum philosophorum circa istam quaestionem nec [umquam] vidi philosophum qui scriberet contrarium.

Patet igitur ex praedictis quod materia numquam denudatur a dimensionibus, quia omnes formae materiales requirunt dimensiones in materia et educuntur de potentia materiae dimensionatae, et ideo habent in materia esse extensum et dividuntur secundum divisionem subiecti, ita videlicet quod extenduntur secundum extensionem eius. Et ideo probatur 8 *Physicorum* et 1 *Caeli et mundi* quod virtus existens in corpore est maior in maiori corpore ceteris paribus. Ex quo probatur in eodem 8 quod corpore finito non potest esse virtus infinita, et hoc etiam patebit in isto libro. Dimensiones etiam, ut sunt dimensiones, tamen ut intelliguntur communes omnibus formis, scilicet absque determinato termino, non existunt in actu, sicut materia ut est communis omnibus formis, non existit in aliquo tempore in re extra intellectum, quia ut sic est privativa omni forma, sed in re semper existit sub alia forma. Eodem modo dimensiones semper in re existunt terminatae per aliam formam, sed quia corporeitas materiae potest esse per quamcumque formam materialem et sic <est> in potentia ad omnes, ideo,

---

684 umquam] *coni.* numquam **695** privativa] privata *fors. melius*

---

677 sententia …2] *Fors.* Avicenna, *Liber de philosophia prima* II, 2 (ed. Van Riet, p. 72–74, l. 47–85). **680–681** quam …orbis] Averroes, *De substantia orbis* I (ed. Venetiis 1562, f. 4rbD–vbK). **689–691** probatur …infinita] Aristoteles, *Phys.* VIII, 10 (266b25–26; AL 7/1, p. 337, l. 14–15); cf. etiam *Auctoritates Aristotelis* (ed. Hamesse, p. 158, n. 227); Arist., *De caelo* I, 6 (206a7–8); cf. etiam *Auctoritates Aristotelis* (ed. Hamesse, p. 161, n. 21). **692** hoc etiam …libro] Cf. Fernandus Hispanus, *Sententia Metaphysicae* XII (P, f. 175va–b, l. 54–1): "Deinde subdit causam huius dicens movet etiam per infinitum tempus, id est quia iste motor movet per infinitum tempus et ideo debet habere potentiam infinitam et non habet potentiam infinitam finitum, id est necesse est ut illud quod habet potentiam infinitam non sit corpus nec virtus in corpore, quia omne corpus aut potentia in corpore est finitum et finitum non potest habere potentiam infinitam; ac si argueret sic: Primus motor habet potentiam infinitam vel est infinitae potentiae, sed nullum corpus aut potentia in corpore est infinitum; ergo primus motor non est corpus nec potentia |79vb| in corpore". **692–704** dimensiones …maiores] Cf. Averroes, *De substantia orbis* I (ed. Venetiis 1562, ff. 3vbM–4raD).

cum una forma corrumpitur et alia generatur, corporeitas habet esse per formam generatam, et quia aliud esse habet per istam formam quam habebat, ideo habet aliam terminationem. Et ideo etiam, quando formae contrariantur in terminis dimensionum, multum una via ad corrumpendum formam praeexistentem est in ducendo dimensiones in terminos formae generandae, ut, verbi gratia, quando ex aqua quae habet dimensiones minores fit ignis qui habet dimensiones maiores.

Unus est motus quo generatur ignis et corrumpitur aqua, et hoc est inducendo dispositiones ignis et terminos suarum dimensionum, scilicet rarefaciendo aquam et dilatando dimensiones eius, et in toto motu adhuc manet aqua. Et ideo dicitur alteratio, cum autem ad tantam raritatem venerit quam amplius non potest aqua manere sub maiori raritate et etiam sub aliis dispositionibus inductis per agens, scilicet caliditate et siccitate, tunc ulterior processus vel instans ulterioris processus est instans corruptionis aquae et generationis ignis. Et ita raritas quae praecessit et extensio dimensionum non corrumpitur in illo instanti, sed perficitur, sic nec aliae perfectiones introductae per agens corrumpuntur, sed perficiuntur per formam quae generatur in instanti corruptionis alterius. Et sic accidentia semper sunt in subiecto in actu, forma tamen non advenit enti in actu, quia in adventu suo seu in sua generatione corrumpitur alia forma praeexistens, immo sua generatio est corruptio alterius et motus praecedens erat via ad utrumque, scilicet ad corruptionem unius et generationem alterius. Et, quia ille motus erat unus, ideo et iste terminus est unus, licet respectu unius dicatur corruptio et respectu alterius dicatur generatio.

Et ex hoc etiam potest patere quod Philosophus *hic* dicit et Commentator, scilicet quod "materia est una secundum subiectum et multa secundum habilitates" et istas habilitates habet secundum quemdam ordinem. Per hoc enim quod ipsa est dimensionata habet aptitudinem ad recipiendum simul diversas formas in diversis partibus eius, et sic est "primo in potentia ad contrarietates primas quas recipit secundum formas quattuor elementorum".

Deinde, cum est sub istis formis et qualitatibus simplicium, est in potentia ad partes consimiles vel ad mixta consimilium partium. Et hoc per mixtionem ipsorum quattuor elementorum, ita quod secundum quod diverse et in diversa proportione miscentur elementa et qualitates eorum, secundum hoc fiunt diversa mixta homogenea. Et hoc quod Philosophus dicit 2 *De generatione* et praeassumptum fuit — ubi dicit sic: "Secundum illud vero quod est potentia magis calidum aut frigidum vel contrarie alterutrum, secundum hanc rationem et

---

722–726 materia …elementorum] Aristoteles, *Metaphys.* XII, 2 (1069b27–33; AL 25/3.2, p. 248, l. 51–57). **727–731** deinde …homogenea] Averroes, *In Metaphys.* XII, com. 11 (ed. Iuntina 8, f. 297rbE–F). **732–735** secundum …modum] Aristoteles, *De generatione* II, 7 (334b13–21; AL 9/1, p. 69–70, l. 20–5); cf. supra III.B.2.

rationem dupliciter calidum potentia quam frigidum vel tripliciter vel secundum alium talem modum" etc. — vult dicere quod secundum diversitatem mixtionis elementorum fit ipsum mixtum dupliciter calidum quam frigidum vel tripliciter vel secundum aliam proportionem. Secundum autem quod materia est sub tali forma mixti homogenei, ipsa habet potentiam et habilitates ad diversas partes consimiles constituentes partes organicas.

Mixtum enim habet a materia proportionem ex simplicibus communem ad diversas partes consimiles, ut, verbi gratia, sanguis menstruus habet ex simplicibus ex quibus componitur proportio convenientem generationem carnis et ossis et nervi, ita quod, cum agens diversa actione egerit in ipsum, generabit diversas partes consimiles et una actione corrumpet aliam partem sanguinis et generabit carnem et sic de aliis. Et hoc est propter dispositionem existentem in ipso sanguine menstruo quae non reperitur in alio mixto. Et ideo ex alio mixto non possent fieri immediate tales et tot partes consimiles constituentes diversa organica animalis, propter quod sanguis ille menstruus est materia propinqua illius animalis generati, quod constituitur ex talibus membris organicis.

Et si aliquis diceret quod, cum sanguis sit homogeneae naturae non habens diversitatem in partibus, immo est unum in toto et in partibus, quomodo potest in
162ra eo esse dispositio ad partes ita diversas | — dico quod, quia sanguis compositus est ex quattuor elementis et qualitatibus contrariis quae aliquo modo manent in ipso, licet sanguis sit quoddam unum, habens tamen unam formam substantialem ex proportione suorum simplicium quorum virtus et qualitas in eo salvatur secundum diversas actiones agentis, in ipso possint fieri diversae partes consimiles ex eo, sicut manifeste patet in materia artificialium.

Est enim in subiecto dispositio dupliciter, [quoniam] ex ipso potest fieri serra et ensis et malleus, alia tamen actione fit ensis et alia serra et sic de aliis. Quia enim in ferro est aliquid sicci et aliquid humidi, et sic de calido etc., ideo actio agentis ipsum ensem diminuit in ferro naturam sicci et confortat naturam humidi, sicut sibi possibile est secando aliquid de terrestri et depurando et ex hoc facit [ensem], ex contrario autem facit marcellum seu malleum. Et ita facit agens naturale — ex partibus magis terrestribus sanguis generat ossa et ex magis aeris carnem, et sic de aliis.

Et si aliquis diceret quod, si talis est generatio animalium, tunc animalia habentia diversas partes habent diversas formas substantiales diversarum partium consimilium et diversorum membrorum organorum, ex quo sequerentur multa impossibilia. Idem est ad hoc quod corpora animalium saltem perfectorum composita sunt ex partibus consimilibus et dissimilibus vel organicis, et hoc ideo

758 quoniam] *coni.* quam **763** ensem] *coni.* ens

est quod forma animalium multas habet operationes et plures, quanto perfectior est, propter quas indiget pluribus instrumentis et organis. Unumquodque autem membrorum et maxime organicum videtur habere formam specificam distinctam ab alio, ut cor ab hepate et cerebro et sic de aliis, et etiam in aliis est distinctio, ut os distinguitur a nervo et carne. Haec tamen omnia prout sunt in eodem animali non differunt a forma specifica simpliciter, sed differunt dispositionibus propriis materialibus recipientibus diversas perfectiones per unam formam, ita quod differunt formis accidentalibus. Sunt tamen accidentia propria, et ideo videntur esse formae substantiales, propter quod etiam introducuntur in fine alterationis in instanti sicut forma substantialis, ut Commentator dicit 8 *Physicorum*. Et ideo istae formae membrorum officialium et etiam aliorum consimilium non sunt formae substantiales per se dantes esse illis membris absolute, sed esse est a forma totius. Digitus enim et caro mortui aequivoce dicuntur cum carne et digito vivi, licet habeant eandem formam accidentalem. Et hoc est sententia Philosophi 7 *huius* ante ultimum capitulum, scilicet "Quid autem [oportet dicere]" etc.

Dico igitur quod in animalibus primo generatur una pars, ut cor in habentibus cor et proportionale in aliis, ut Philosophus declarat libro *De morte et vita*. Cor autem generatum vivens est et habens formam substantialem et ipsum cor generat alia membra, et ideo generatio aliorum membrorum dicitur quaedam autem nascentia. Nec intendo dicere, quin alia membra principalia generentur sicut cum corde in aliquibus animalibus, ut puta hepar et cerebrum. Si cor est principalius, ex quo apparet quod forma substantialis cordis est forma substantialis omnium membrorum, membra autem inter se differunt dispositionibus propriis. Et apparet talis differentia in rebus eiusdem speciei vel maior sicut differentia sexuum, ut masculus et femina, sicut patuit in 10 *huius*. Et ita non impedit generatio successiva talium membrorum unitatem formae partium, ut Philosophus et Commentator declarant in 6 *Physicorum*.

Patet igitur ex dictis, quomodo per mixtionem elementorum fit mixtum homogeneum et secundum diversitatem mixtionis ipsorum fiunt in materia habilitates

---

785 oportet dicere] *coni.* ordine *et scr. secundum auct.*

---

780 ut …Physicorum] Averroes, *In Phys.* VIII, com. 32 (ed. Iuntina 4, f. 370vaG). **785** quid …dicere] Aristoteles, *Metaphys.* VII, 16 (1040b5–27; AL 25/3.2, p. 163–164, l. 857–879). **787** ut Philosophus …vita] Aristoteles, *De morte et vita* 17 (478b33–479a3). **795** sicut …huius] Fernandus Hispanus, *Sententia Metaphysicae* X (P, f. 155va, l. 14–19): "Deinde, cum dicit *Masculus vero*, dat propriam solutionem quaestionis dicens *masculus vero et femina*, sicut solvitur quod, licet masculinitas et feminitas *sint passiones substantiales animalis* et propriae ei, tamen enim non insunt sibi *secundum substantiam*, hoc est non sunt de numero differentiarum substantialium *unum in corpore et materia*, id est >sed< sunt accidentia essentialia materiae et corpori animalis. Unde non accipitur in definitione animalis, sed magis e converso animal accipitur in definitione eorum". **796–797** ut …physicorum] Averroes, *In Phys.* VI, com. 59 (ed. Iuntina 4, f. 284vaH–bL).

ad diversas partes consimiles et in diversis homogeneis ad diversas formas diversarum specierum. Et sic materia est una subiecto et plures secundum habilitates. Et iste est ordo habilitatum quem hic tangit Commentator.

⟨IV Solutio rationum inpugnantium⟩

Restat igitur respondere ad rationes in oppositum: Cum dicebatur quod accidentia semper sunt in subiecto in actu, concedatur. Et cum dicitur ulterius quod, si forma adveniret materiae existenti sub aliquo accidenti, adveniret enti in actu, iam patet ex praedictis solutio huius. Improprietas enim loquendi facit aliqualiter imaginari falsum. Forma enim non advenit materiae, sed educitur de materia et sua eductio est corruptio formae praecedentis, et ideo, cum forma generati est producta per productionem compositi, forma praecedentis est corrupta per corruptionem similiter sui compositi, quia aliter forma non generatur nec corrumpitur per se, ut declaratum est in 7 *huius*. Factio autem compositi est per transmutationem subiecti ex quo fit generatio in dispositionibus accidentalibus propriis illi formae sub qua est materia ex qua fit generatio alterando ad dispositiones proprias rei quae generantur tam diu, donec in fine motus sit materia transmutata in dispositionibus substantialibus. Et tunc est hoc generatum et illud corruptum, et ita, licet accidentia quae praecesserunt maneant, numquam tamen fuerint sine forma, nec fuerint numquam cum duabus formis substantialibus, ita quod una adveniret supra aliam, ut ratio imaginatur, quia productio unius fuit
161rb corruptio alterius, et ideo in eodem in instanti | in quo una est, in eodem instanti alia non est. Propter quod bene Philosophus in 8 *Physicorum* ostendit quod non est dare ultimum rei in quo res est, quia tunc illud instans esset secundum totum integrae rei quae corrumpitur, et ultra illud instans res illa non esset, et tunc aliud instans consequens esset rei quae generatur, ex quo sequeretur quod esset terminus in quo materia maneret sine forma, quod est impossibile. Propter quod

812 ut …huius] Cf. Fernandus Hispanus, *Sententia Metaphysicae* VII (O, f. 98rb–va, l. 44–50, 11–22; P, ff. 112vb–113ra, l. 60–4, 20–27): "Et ita intelligo formam esse |P: 113ra| in materia in potentia, quia materia potest transmutari secundum omnes suas dispositiones et substantiales et accidentales et transmutatio eius secundum dispositiones substantiales est fieri aliud formatum numero et specie, et ita, sicut materia est in potentia ad subiectum, sic est in potentia formalis ad formam, sicut igitur in ipsa est aliud subiectum in potentia, ita est in ipsa forma in potentia. (…) |O: 98va| [A]pud Aristotelem agens non congregat inter duo actu existentia, ut voluit Empedocles, sed extrahit illud quod est in potentia ad actum, et sic quasi congregat inter potentiam et actum, secundum quod extrahit potentiam ad actum non corrumpendo substantiam subiecti quod erat in potentia, sed transmutando donec in composito efficiantutur duo, scilicet forma et materia. Est etiam in hac similitudo creationis (causationis P), inquantum illud quod est in potentia fit in actu, sed differt a creatione (causatione P), quia non fit ex nihilo, sed fit compositum ex aliquo quod est pars sui, scilicet materia, ut iam dictum est, et similiter est ibi similitudo latitationis, eo quod materia est in potentia ad formam vel formatum". **821** bene …ostendit] Aristoteles, *Phys.* VIII, 1 (251b20–27; AL 7/1, p. 281, l. 8–12).

oportet dicere quod ultimum instans rei est primum esse rei quae generatur, unde qui imaginatur quod qualitas propria rei quae generatur et praecessit ipsam formam in materia per actionem agentis corrumpitur, cum generatur illa forma sibi propria per accidens, eo videlicet quod corrumpitur subiectum in quo est, necessario imaginatur quod sit aliud instans corruptionis ab instanti generationis, et ideo per dispositiones proprias carnis quae fiunt a generante in sanguine et per augmentum earum fit caro et corrumpitur sanguis, et ita illae dispositiones tendunt ad sui perfectionem. Ex quo patet quod forma non advenit enti in actu, sed educitur de materia et advenit materiae quae est ens in potentia quae non posset existere; et similiter accidentia non possent existere in materia sine forma, unde quando nisi una forma corrumpitur, alia esset, tunc accidentia corrumperentur necessario.

Ad aliam rationem, cum dicitur quod, si manet idem accidens numero, sequitur quod unum accidens numero erit in duobus subiectis diversis numero et specie, quod videtur inconveniens. Dicendum est ad hoc: Identitas accidentis numero potest duobus modis intelligi, scilicet vel de identitate numerali ipsiusmet accidentis, sicut dicitur de materia quod est eadem numero in generato et corrupto; et hoc identitate numerali ipsius materiae quae accipitur per privationem omnium formarum. Si igitur intelligatur de identitate numerali primo modo dicta, scilicet quam accidens habet a subiecto in quo est vel a forma eius, planum est quod non est eadem numerositas in generato quae fuit in corrupto, cum non sit eadem forma; et similiter non est eadem numerositas materiae, quia ista identitas numeralis non est aliud quam actualitas non solum numero, verum etiam in specie, ex quo formae diversae sunt in specie. Si autem intelligatur de identitate numerali quae est ipsiusmet accidentis, dico quod illud accidens numero est in generato quod fuit ex corrupto, nam ex quo accidens est commune utrique et sibi non definit subiectum in actu quod natum est perficere, quia corruptio unius est generatio alterius, nec fuit alia causa ipsum corrumpens. Idem potest manere in utroque, licet aliam actualitatem recipiat per alietatem subiecti, quia enim accidens est dispositio subiecti et esse habet a subiecto, ideo esset inconveniens quod actionem migrat de subiecto in subiectum, scilicet dimisso uno subiecto ire ad aliud, quia tunc posset separari a subiecto et ens per se, sed hoc non est in proposito. Non enim ponitur quod accidens possit separari a subiecto se, quia corruptio unius subiecti eius est generatio alterius, quod est sibi ita propositum vel magis quam illud quod corrumpitur, ideo manebit idem accidens semper cum suo subiecto.

Praeterea, de accidentibus propriis rei quae generatur introductis ab agente, prius quam res sit generata potest clare apparere, quod maneant. Causa enim

ignis generatur ex aqua, prius per agens aqua calefit et rarefit, caliditas enim et rarefactio in toto, cum ad hoc manet aqua, sunt in fieri et non sunt in actu completo. Cum autem in fine motus per augmentum caloris et rarefactionis aqua est corrupta et ignis generatus, calor est completus et rarefactio. Quomodo igitur aliquis potest imaginari quod in ultimo instanti sui motus per quem acquiritur sua ultima perfectio corrumpatur simpliciter et iterum fiat simpliciter, hoc enim est impossibile, nam sic esset dare finem motus sine motu, quod est absurdum. Calor enim qui ponitur generari in instanti, si generatur per motum praecedentem, quia finis praecedentis motus fuit corruptio eiusdem caloris secundum speciem, igitur impossibile est quod sit generatio caloris nec per se nec per accidens, quia tunc motus in eodem subiecto terminaretur ad duo opposita contradictione; vel oporteret dicere quod unus motus terminaretur ad duos fines oppositos per se et primo, quorum quodlibet est impossibile, et ideo calor generatus in instanti vel generis caloris in instanti non est finis motus praecedentis, cum ille motus fuerit terminatus ad corruptionem caloris, quare generatio illa in instanti quae est finis motus est sine motu, quod est impossibile. Et qui voluerit considerare, videbit quod dicta positio ducit quasi ad infinita inconvenientia et per hoc inducit mirabiles difficultates suscipientibus unitatem formarum, nam secundum ipsam nihil [generatione] remanet in homine nec dispositio nec aliud.

Bibliography

Primary literature

Aegidius Romanus, *Primus Sententiarum*, Venetiis, 1521 (= *In Sent.*).

—, *Theoremata de Corpore Christi*, Roma, 1554.

Aristoteles, *Analytica Posteriora. Translationes Iacobi, Anonymi sive 'Ioannis', Gerardi et Recensio Guillelmi de Moerbeka*, edited by B.G. Dod, (Aristoteles Latinus, 4/4), Bruges–Paris: Desclée de Brouwer, 1968 (= *Analytica Posteriora*).

—, *De generatione et corruptione. Translatio vetus*, edited by J. Judycka, (Aristoteles Latinus, 9/1), Leiden: Brill, 1987 (= *De generatione*).

—, *Metaphysica. Recensio et translatio Guillelmi de Moerbeka*, edited by G. Vuillemin–Diem, (Aristoteles Latinus, 25/3), Leiden—New York—Köln: Brill, 1995 (= *Metaphys.*).

882 generatione] *coni.* generante

—, *Meteorologica. Translatio Guillelmi de Moerbeka*, edited by G. Vuillemin–Diem, (Aristoteles Latinus, 10/2), Turnhout: Brepols, 2008 (= *Meteor.*).

—, *Physica. Translatio vetus*, edited by G. Verbeke, (Aristoteles Latinus, 7/1), Leiden—New York: Brill, 1990 (= *Phys.*).

Averroes, *Averrois Cordubensis commentum magnum super libro De celo et mundo Aristotelis*, edited by F.J. Carmody, R. Arnzen, (Recherches de théologie et philosophie médiévales. Bibliotheca, 4), Leuven: Peeters, 2003 (= *In De caelo*).

—, *Aristotelis de Physico auditu libri octo, cum Averrois Cordubensis variis in eosdem commentariis*, edited by M.A. Zimara, (Editio Iuntina secunda, 4), Venetiis: Apud Iuntas, 1562 (= *In Phys.*).

—, *Aristotelis Metaphysicorum libri XIIII cum Averrois Cordubensis in eosdem commentariis et epitome, Theophrasti metaphysicorum liber*, edited by M.A. Zimara, (Editio Iuntina secunda, 8), Venetiis: Apud Iuntas, 1562 (= *In Metaphys.*).

—, "De substantia orbis," *Sermo de substantia orbis, Destructio destructionum philosophiae Algazelis, De anima beatitudine seu Epistola de intellectu*, edited by M.A. Zimara, (Editio Iuntina secunda, 9), Venetiis: Apud Iuntas, 1562, f. 3ra–14vb.

—, *In Aristotelis Librum II Metaphysicorum Commentarius. Die lateinische übersetzung des Mittelalters auf handschriftlicher Grundlage mit Einleitung und problemgeschichtlicher Studie*, edited by G. Darms, Freiburg Schweiz: Paulusverlag, 1966 (= *In Metaphys.*).

Avicenna, *Liber de philosophia prima sive scientia divina I–IV*, edited by S. Van Riet, (Avicenna Latinus), Louvain–Leiden: Peeters–Brill, 1977 (= *Liber de philosophia prima*).

Hamesse, J., *Les Auctoritates Aristotelis. Un Florilège Médiéval. Étude historique et édition critique*, (Philosophes médiévaux, 17), Louvain—Paris: Publications Universitaires—Béatrice–Nauwelaerts, 1974 (= *Auctoritates Aristotelis*).

Thomas de Aquino, "De mixtione elementorum," *De principiis naturae, De aeternitate mundi, De motu cordis, De mixtione elementorum, De operationibus occultis naturae, De iudiciis astrorum, De sortibus, De unitate intellectus, De ente et essentia, De fallaciis, De propositionibus modalibus*, edited cura et studio Fratrum Praedicatorum, (Sancti Thomae de Aquino Opera Omnia, 43), Roma: Editori di San Tommaso, 1976, p. 155–157.

Secondary literature

Nach der Verurteilung von 1277 / After the Condemnation of 1277, edited by J.A. Aertsen, K. Emery, A. Speer, (Miscellanea Mediaevalia, 28), Berlin–New York: Walter de Gruyter, 2001.

Bianchi, L., *Censure et liberté intellectuelle à l'Université de Paris*, Paris: Les Belles Lettres, 1999.

Bobik, J„ *Aquinas on Matter and Form and the Elements: A Translation and Interpretation of the De principiis naturae and the De mixtione elementorum of St. Thomas Aquinas*, Notre Dame: University of Notre Dame Pess, 1998.

Coxe, H. O., *Catalogus codicum mss. qui in collegiis aulisque Oxoniensibus hodie adservantur*, vol. I, Oxonii: Ex Typographeo Academico, 1852.

Chartularium Universitatis Parisiensis, edited by H. Denifle, E. Chatelain, vol. 1: *Ab anno MCC usque ad annum MCCLXXXVI*, Paris: Ex Typis Fratrum Delalain, 1889.

Ehrle, F., "Nikolaus Trivet, sein Leben, seine Quodlibet und Quaestiones ordinariae," *Festgabe Clemens Baeumker zum 70. Geburtstag*, (Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters. Supplementband 2. Abhandlungen zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters), Münster: Aschendorff, 1923, p. 1–63.

Ermatinger, Ch.J., "Notes on Some Early Fourteenth Century Scholastic Philosophers (concluded)", *Manuscripta* 4/1 (1960), p. 29–38.

Eubel, C., *Hierarchia catholica medii aevi sive Summorum Pontificum, S. R. E. Cardinalium, Ecclesiarum Antistitum series ab anno 1198 usque ad annum 1431 perducta*, Monasterii: Sumptibus et Typis Librariae Regensbergianae, 1913.

Flüeler, Ch., *Rezeption und Interpretation der aristotelischen Politica im späten Mittelalter*, Amsterdam–Philadelphia: B.R. Grüner Publishing Company, 1992 (Bochumer Studien zur Philosophie, 19).

Gauthier, L., *Ibn Rochd (Averroès)*, Paris: Presses Universitaires de France, 1948.

Heusch, C., "Index des commentateurs espagnols médiévaux d'Aristote (XIIe-XVe siècles)", *Antalaya* 2 (1992), p. 157–175.

Hoffmann, R., "Der Metaphysikkommentar des Fernandus Hispanus", *Mediaevalia Philosophica Polonorum* 34 (2001), p. 95–101.

Hyman, A., *Averroes' De Substantia Orbis. Critical Edition of the Hebrew Text with English Translation and Commentary*, (Corpus Philosophorum Medii Aevi. Averroes Hebraicus), Cambridge, Massachusetts–Jerusalem: Medieval Academy of America, 1986.

James, M. R., *A Descriptive Catalogue of the Manuscripts in the Library of Peterhouse*, Cambridge: Cambridge University Press, 1899.

Kuksewicz, Z., "Ferrandus Hyspanus 'De specie intelligibili'", *Medioevo* 3 (1977), p. 187–235.

—, "The Latin Averroism of the late thirteenth Century," *Averroismus im Mittelalter und in der Renaissance*, edited by F. Niewöhner, L. Sturlese, Zürich: Spur Verlag, 1994, p. 101–113.

—, "Une seconde version de Quaestiones super Physicam de Gilles d'Orleans retrouvée," *Mediaevalia Philosophica Polonorum* 32 (1994), p. 3–32.

Lamy, A., "La quantité indéterminée de la matière selon Jean de Jandun. Principes et problèmes ontologiques," *Revue de métaphysique et de morale* 74/2 (2012), p. 147–160.

Lohr, Ch.H., C. Colomba, *Latin Aristotle Commentaries: Medieval authors (A-L)*, vol. I.1: *Medieval authors (A-L)*, (Subsidia al Corpus Philosophorum Medii Aevi, 17), Firenze: SISMEL — Edizioni del Galuzzo, 2013.

Thomson, R.M., *A Descriptive Catalogue of the Medieval Manuscripts in the Library of Peterhouse, Cambridge*, Cambridge: D. S. Brewer, 2016.

Tomanek, Ł., "Fernand of Spain on Dispositions of Prime Matter", *Freiburger Zeitschrift für Philosophie und Theologie* 71/2 (2025; forthcoming).

—, "Natural Reason and God's Infinite Power: Diversity of Approaches in the Late 13th and 14th Century Commentaries on Averroes's De substantia orbis", *Analiza i Egzystencja* 54 (2021), p. 181–215.

Weijers, O., "La structure des commentaires philosophiques à la Faculté des arts: quelques observations," *Il commento filosofico nell'occidente latino (secoli XIII-XV): the philosophical commentary in the Latin West (13–15th centuries): Atti del colloquio Firenze-Pisa, 19–22 ottobre 2000, organizzato dalla SISMEL (Società Internazionale per lo Studio del Medioevo Latino) e dalla SISPM (Società Italiana per lo Studio del Pensiero Medievale), sotto l'egida della SIEPM*, edited by G. Fioravanti, (Rencontres de Philosophie Médiévale, 10), Turnhout: Brepols, 2002, p. 17–41.

—, *Le travail intellectuel à la Faculté des arts de Paris: textes et maîtres (ca. 1200–1500). 2, Répertoire des noms commençant par C-F*, (Studia Artistarum, 3), Turnhout: Brepols, 1996.

—, "Un type de commentaire particulier à la faculté des Arts: la 'sententia cum questionibus'", in: *La tradition vive. Mélanges d'histoire des textes en l'honneur de Louis Holtz*, edited by P. Lardet, (Bibliologia, 20), Paris–Turhout: Brepols, 2003, p. 211–222.

Weijers, O., M. B. Calma, *Le travail intellectuel à la Faculté des arts de Paris: textes et maîtres (ca. 1200–1500). 7, Répertoire des noms commençant par P*, (Studia Artistarum, 15), Turnhout: Brepols, 2007.

Zimmermann, A., "Die Kritik an Thomas von Aquin im Metaphysikkommentar des Ferrandus de Hispania," *Tommaso d'Aquino nella storia del pensiero. Dal medioevo ad oggi*, Napoli: Ed. Domenicane Italiane, 1976, p. 259–267.

—, "Ein Averroist des späten 13. Jahrhunderts: Ferrandus de Hispania," *Archiv für Geschichte der Philosophie* 50/1–2 (1968), p. 145–164.

—, "Remarques et questions relatives à l'oeuvre de Ferrand d'Espagne," *Diálogo filosófico-religioso entre cristianismo, judaísmo e islamismo durante la edad media en la península iberica: Actes du Colloque international de San Lorenzo de El Escorial 23–26 juin 1991*, edited by H. Santiago-Otero, (Rencontres de Philosophie Médiévale, 3), Turnhout: Brepols, 1994, p. 213–228.

—, *Verzeichnis ungedruckter Kommentare zur Metaphysik und Physik des Aristoteles aus der Zeit von etwa 1250–1350*, (Studien und Texte zur Geistesgeschichte des Mittelalters, 1), Leiden–Köln: Brill, 1970.

FERNAND OF SPAIN AND HIS QUESTION ON WHETHER PRIME MATTER CAN BE DENUDED OF ANY DISPOSITIONS PRIOR TO INTRODUCTION OF SUBSTANTIAL FORM

Sententia Metaphysicae XII, qu. unica
(Cambridge, Peterhouse 56 III, ff. 159va–161rb)

Summary

This article is an introduction to and a critical edition of an excerpt from a commentary on the *Metaphysics*, written by the 13th-century Parisian master Fernand of Spain (fl. 1281–1302 †). The question critically edited in this article, *Utrum forma substantialis introducatur in materia ut est nuda ab omnibus accidentibus et dispositionibus praecedentibus formam in materia*, concerns the nature of a physical body as a composite of matter and form and as a mixt of simple bodies, i.e., elements. On this occasion, Fernand stresses the importance of the correct reading of Aristotle's doctrine of prime matter — a reading that is substantially influenced by Averroes' notion of indeterminate dimensions that inhere in prime matter. Following the subject of the question, the article addresses the interpretative principles that Fernand endorses while commenting on Aristotle. It also discusses the extensive use of Averroes' works in Fernand's exposition of the Aristotelian doctrine of material substance.

Keywords: prime matter, *mixtum*, *dimensiones indeterminatae*, Averroes, averroism

Słowa klucze: materia pierwsza, *mixtum*, *dimensiones indeterminatae*, Awerroes, awerroizm